

quasi Christus Nicodemum docuisset, nativitatem ex aqua seu carnalem regenerationem ad impetrandum cœlorum regnum non sufficere, sed insuper nativitatem ex Spiritu requiri. Alibi tamen idem Hottingerus *k)* aquam & Spiritum hic synonymas voces esse asserit, quasi Christus dixisset: ἐξ ὕδατος ἢ πνεύματος ex aqua seu spiritu.

*i)* primit. Heidelb. disp. 3. pag. 78. *k)* thesaur. philol. pag. 246.

### §. XVI.

Coccejus *l)* uti in verbis Johannis Baptistæ *m)* baptismum Spiritus S. & ignis distinguit, dum Israelitas Spiritu S. baptizatos asserit, cum Christus in Apostolos & alios credentes Spiritum S. effudit, & credentibus evangelio Spiritum adoptionis dedit, igne vero, cum Christus iræ suæ ignem in rebelles & refractarios effudit: ita etiam in verbis Christi aquam a Spiritu ita discernit, ut per aquam Christi obedientiam & sanguinem, quo a peccatis abluimur & purificamur, & per Spiritum Dei spiritum alios homines facientem intelligat.

*l)* Tom. 4. p. 90. *m)* Matth. III, u.

### §. XVII.

Multas ex his interpretationibus coactas esse quilibet agnoscit. Sed nemo Christi verba pejus torquet quam anonymus quidam Scriptor a Sandio *n)* in paradoxis interpretationibus quatuor evangeliorum allegatus, qui per nativitatem ex aqua & spiritu immisionem animarum jam ante existentium in corpora intelligit, verba Christi sic interpretatus, quasi homines æque ac diaboli regni cœlorum capaces futuri non essent, nisi, quod diaboli negatum est, ex aqua & Spiritu renascerentur, h. e. nisi eorum spiritus seu animæ jam ante mundi creationem conditæ & postea lapsæ in corpora transmitterentur. Pro confirmanda hac sententia adducit, quod aqua sit generationis carnalis principium, & quod ex aqua omnia constare multi veteres pariter  
ac mo-